

A
8



caja 2 A=9 C=5

caja
CINISA 5

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA	
— GRANADA —	
Se'a	caja 2
Estante	
Número	8

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

COPIES
of

COPIES
of

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely from the 18th or 19th century. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side of the page.]



Plura ex rebus in precedentibus paginis obumbratae scripta sunt a
Patre Poza, qui referuntur pag. 33. numero. 1. eorumque defenduntur positione. 2.

POSITIONES SEV CONCLV- siones Theologicae.

Caja 2-8(8)

PRIMA POSITIO.

De Dubie dictis, aut problematicè, aut ex hypothesi.

DUBIE, aut timidè, aut sine firmo assensu loqui, vel scribere, circa ea quæ manifestè notè constant ex Scriptura sacra, vel Conciliorum definitionibus, vel Romanorum Pontificu decretis, vel concordia sanctorum Patrum consensu, nullam meretur malam notà, aut censuram Theologicam, etiam si absolute, & assertivè dicta altera pars ex dubiè, aut vacillàter propositis, graviore temeritatis, & erroris labem contineret. Sic Hieronymus in apologia aduersus Iovinianu à plurimis obiectis se, & sua scripta liberat, quod ea vacillanti, & timido calamo, & non asseueranter, ac constanter scripserit: & quoniam hunc suspensum, & pavidum, & interlocutorium docendi morem nonnulli damnauerunt in Hieronymo, ipse in præfatione vndecimi commentarij super Isaiam, & ubi proximè, & sæpè alibi, munit se exèplo Origenis, Methodij, Eusebij, Apollinaris, Tertulliani, Cypriani, Minutij, Laetantij, & Hilarij, qui sæpissimè dubitantes, timentes, neutram partem asseuerantes, & alijs rem decidendam committentes plurima scripserunt. Hunc morem approbans sanctus Athanasius libro de decretis Concilij Niceni, eximit Origenem ab accusationibus nonnullis, quòd disputans, aut dubitans, aut sub hypothesi, non ex firmo, & perseueranti iudicio fuerit locutus. Sanctus Augustinus plurima sub calamo nutante, & nihil firmitè asserente scripsit, in quibus sunt libri contra Faustum, vti adnotat ex familia Dominicana Turrecremata: & libri duodecim de Genesi ad literam, de quibus in libro retractationu ipse fatetur Augustinus ferè nihil in illis firmitè decreuisse. Cùm sæpè sibi obijciat Angelicus Doctor loca nonnulla ex libris de Genesi ad literam, vt plurimum respondet non locutum assertivè. Atque hanc dubitanter scribendi formam vtitur, imò fuisse Scoto subtilissimo apertè declarat, tum quod Minorum ordo in præfatione operum ipsius iuxta Antuerpiensem editionem nouissimam obseruat, tum quod ipse præstat frequētissimè, præcipuè primo sententiarum dist. 41. Idem sæpè S. Thomas obseruat, tunc maximè quando verbum illud adhibet, *Videtur*, quod dubium, & suspensum animum ostendit. Longè aliter se habet cùm constanter affirmat, *Respondeo dicendum*. Propterea ex illustrissima familia Prædicatorum innumeri hanc positionè laudauerunt, & tum authores dubiè, aut timidè loquentes, vel scribentes, tum ipsorù opera ab omni mala nota liberant, quanquam alterutra pars asseueranter dicta grauiorem castigationem, & censuram Theologicam mereretur. Sic statuunt Albertus Magnus in 2. dist. 19. Ioannes Dominicus magister sancti Antonini in tractatibus super Magnificat, quem propter hanc dubiè, & timidè scribendi modestiam ipse Antoninus probat, & commendat 4. p. innum. tit. 15. c. vlt. Idem omnino sentit Turrecremata dist. 9. c. ego solis statuens à dubiè, aut timidè dictis in scriptis Patrum nullum sumu de eoru sensu argumentum, Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis c. 11. Seraphinus Razzus in Scholijs super ipsum. Sixtus verò Senensis lib. 6. annot. 81. Caietanu, & Catharinu à graui errore damnato in Tridentina synodo sess. 24. ijs verbis liberat. *Hanc positionem proponunt non vt firma determinationis sententiam sed vt opinionem Doctorum disputationibus excutendam, & Ecclesie auctoritate iudicandam, quales etate nostra fuerunt Thomas, Caietanus, & Ambrosius, Compsa Episcopus.* Ipse Caietanus in opusculo ultimo tomi tertij negat à se dicta quædam asserita, quæ magnum Germaniæ scandalum generarunt, quòd illa non assertivè, sed dubiè scripserit, vt sapius in prædicto opusculo declarat. Hoc principio innixi, merito Parisienses cum Gerlone Iermone de Conceptione negant, S. Bernardum opinioni maculanti conceptum Virginis succurrisse, cùm timidè, & dubiè in ea re loquatur, & consultari Romanam Ecclesiam iubeat, certè vt nouam festiuitatem sine approbatione Pontificis inuestam reprobet, rationes dubitandi exponit, non quod illis assensum præbeat, sed vt dubiam tunc laudem Virginis à publica solennitate remoneat, donec illà probet Apostolica sedes. Id circo S. Thomas 3. p. non allegauit Bernardum pro opinione de maculato conceptu. Hanc positionè primam probat nouissimè Grabrina Dominicanus tom. 3. Catholic. præscriptionum p. 1. pag. 31. & 32. ex Athanasio, Basilio, & Vincètio Lyrinèsi, dum expedit ea quæ per condescendenciã, aut non assertivè à Patribus effertur perinde esse ac si non affirmarètur. Subdit *Sicut in humano, & forensibus iudicijs testimonium vacillans, & dubium fidem non facit, sed illud quod asseueranter, perseueranter, & constanter inducitur sic illa testimonia Patrum robur habent, & firmitatem quando manifestè, frequenter, perseueranter, non priuatim sed publicum Ecclesie tradunt sensum, vel ex definitionibus, aut fidei regula loquuntur.* Illud obseruandum quod ipse Grabrina scripsit pag. 67. *Plerumque loquuntur Patres de mente aliorum.* Propterea tum sacra Congregatio de indice, tum suprema Hispaniarum inquisitio circa opera Nicolai Copernici, & Nicolai Mullerij iubent ne expurgentur, quoties dubiè, aut ex hypothesi, aut problematicè scribunt terram diurno motu circumagi, Solem verò esse immobilem instar centri: tunc duntaxat expurgationem, aut castigationem mandant, quando constanter, & firmo sensu ea doctrina scribitur, aut pronuntiatur.

POSITIO SECUNDA.

De erroribus qui sine culpa contingunt ex humana infirmitate,

vel ex librarijs.

COMMUNE Thomistarum estatum est, quod Grabrina tomo 3. Catholicarum præscriptionum p. 1. pag. 40. 41. 42. Melchior Canus lib. 7. de locis, cap. 3. Seraphinus Razzius in scholijs ad eundem. Turrecrem. dist. 9. Bañez 1. p. q. 1. art. 8. & 2. 2. q. 10. art. 10. Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 5. & 6. per totū. Catharinus libris tribus de Conceptione Mariæ, Ioannes Gonçalves Albelda, Ioannes Paulus Nazarius, Hieronymus Camarinus, Raphael de Ripa in 1. p. q. 1. & plures alij ex illustrissima familia Prædicatorū, aut expressere, aut supponere, magnos illos Patres, antiquosque Doctores ob arcana Dei consilia interdum erravisse. In nullo, ait Grabrina, *læditur Patrum auctoritas, si quando aliquem, vel aliquos etiam in fidei dogmate contingat ab errare.* Plures huius rei, & causas, & convenientias numerat; in quibus illæ præcipuæ sunt: quia multoties non tam suam sententiam, quàm præcessorum exempla, & auctoritatem sunt sequuti, & verisimilibus rationibus inducti, privatae suæ sententiæ adhæserunt: deinde quia putabant multoties non pertinere ad fidem nonnullas quæstiones, quæ tamen ad fidem pertinebant. Huc spectat quod a pag. 43. vsque ad 50. consignatis authoribus, & locis similes errores Grabrina numeret, interdum nulla excusatione proposita; a pag. 55. vsque ad 58. quinquaginta memorat propositiones in quibus scholastici scriptores a sanctis Patribus discedere videntur, interdum excusatione, aut conciliatione adhibita, interdum omiſsa. A pag. 66. vsque ad 76. viginti quatuor cautelas numerat, pro lectione sanctorum Patrum, ne quis in errorem impingat. Vt *Quod plerumque loquantur sancti Doctores de mente aliorum, quod sepe non assertivè, sed dubitè, aut timidè, sine firmo iudicio, aut assensu scribāt. Quod multoties indistinctè loquantur. Quod plerumque per excessum quadam populo è pulpitis declarent. Quas omnes cautelas, & observationes in hac secūda positione ex Grabrina, & cæteris extractas cum certis limitationibus, additionibus, & declarationibus quæ magnam reverentiã erga Patres, & sanctos Doctores ostendant, admitemus. Verba sunt Concilij Constantinopolitani illa quæ attulit S. Thomas de process. Divin. q. 10. art. 4. *Sequimur per omnia sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Guillelmum, Leonem, & Proelium, & suscipimus omnia, quæ de recta fide ad condemnationem hæreticorum scripserunt.* Quanquam verò notum sit in nonnullis, ex ijs Doctoribus, graues interdum errores inueniri, non propterea falsa, aut imprudens est propositio generalis Concilij, quod per omnia illos sequatur, & in omnibus illos suscipiat: habent enim universales hæc propositiones Conciliorum, & Pontificū notissimas limitationes, & exceptiones, & declarationes, quas Theologi, & Canonici iuris professores communiter expendunt. Sic contingit interdum dici in decretalibus, & Concilij *absque vilo errore* Doctorem aliquem scripsisse, quod de affectato errore, vel suis temporibus non comperto intelligendum sit, vel tãdem conferendum in amplificationes, & exaggerationes, sacris Scripturis, & Patribus familiares, quæ sine læsione virtutis, & veritatis legitimos habent, & nõ mendaces sensus. Plures ex transcriptione multiplici nascuntur errores, qui non à Doctorum mente, & calamo emanarunt. Primo, quia Amanuenses peregrinum sermonem ignorarent. Secundo, ex negligentia transcribendi. Tertio, ex deprauatis codicibus. Quarto, ex similitudine literarum. Quinto, ex compediarijs literis seu abbreviaturis. Sexto, ex vocum assonantia, & similitudine. Septimo, ex detractione, adiectione, & transpositione verborum. Octavo, ex vitio interpretum, aut translatorum. Nono, ex malitia hominum aliena supponentium. Decimo, quia ex non emendatis exemplaribus alia magis inemendata procedebant. In editione Romana anni 1570. operum Divi Thomæ, hæc quidem operibus Angelici Doctoris contigisse fatentur Vincencius Iustinianus Ordinis Prædicatorij generalis Magister, & Thomas Manrique sacri Palatij Magister, qui in præfationibus plurimos locos Divi Thomæ, aut nunquam impressos, aut vitiatos, aut à falsarijs deturpatos se reparasse; nonnullos etiam de mandato Pij V. sustulisse memorant. Quam diligentia ipse Pius V. motu proprio in ea editione posito, commédavit. Quoniam verò ut ait Franciscus Garcia Dominicanus, corruptio multa fuerat, & non potuit in totum vno tantum conatu per purgari anno 1578. iussu Seraphini Brixienſis generalis Magistri, aliàs mille & centum castigationes, & correctiones addidit summæ Theologicæ, quas prælo dedit, ut quæ ex editione Romana superfuissent additiones, detractiones, transpositiones emendarentur. Verum quia depravatio altas radices infixerat, iterum anno 1619. summa Theologica est edita per Gregorium Donatum socium Magistri sacri Palatij, & plura alia errata castigata sunt, quæ ante primam partem folijs sexdecim comprehenduntur. Quibus omnibus standum est, quia magna cura & diligentia, & plurium exemplarium collatione, & à legitimis ministris cum assensu præsesorum Ecclesiæ peracta sunt. Privatis autem hominibus, & Doctoribus non licet hæc, aut aliàs similes correctiones, & castigationes propria auctoritate instituere. Certè ex varijs lectionibus, & ex investigatione depravationum ab aliena manu Angelicum Magistrum à calumpnijs vindicarunt Kambertus Primatius in apologetico contra corruptorium correptorium Divi Thomæ: Guillelmus Masset contra ipsum corruptorium. Ricardus Clapoel in idem corruptorium. Robertus Oxfordius in protectorio Divi Thomæ. Silvester Prieras in defensorio Divi Thomæ. Rudolphus Orfodius in quæstionibus pro D. Thomæ, & alij innumeri eiusdem sanctissimæ professionis.*

Pro ijs qui obiciuntur contra librarij quatuor eludarij de erroribus Patrum; et de erroribus ab Amanuensis et typographis committentibus. et de erroribus operum D. Thomæ vitio præli deservit positio secunda.

POSITIO TERTIA.

Varios continens Canones circa sanctorum Patrum scripta suspicienda.

QUOD Cano lib. 7. de locis cap. 3. & Seraphinus Razzius ibidem, & Grabrina vbi supra pagina 13. colum. 2. & Bañez proximè citatis locis ex communi Thomistarum mente ijs ferè verbis scripserunt, *Omnium sanctorum auctoritas in eo genere questionum, quæ ad fidem minimè pertinent, non facit certam fidem, nec præstat firmum argumentum, sed probabile, cum ea limitatione accipiemus, si manifestum sit nullatenus proximè vel remotè similes controuersias ad fidem pertinere, quemadmodum Vincentius Lyrinensis cap. 39. & grauissimi alij Patres expressere. In hoc casu verum est dictum Grabrinæ pagina 32. Si Patres tradunt res probabiliter collectas, tunc cum hæc magis ad subtilitates Theologicas pertineant, quàm ad partem dogmaticam, tanta est eorum auctoritas, quanta est firma collectio: verùm sobriè hoc canone uti oportebit, pro reuerentia Patrum etiam in ijs quæ ad fidem non pertinent. Quod D. Thomas quodlib. 12. art. 27 sub ijs verbis scripsit *expositores in alijs quæ non sunt fidei multa ex suo sensu dixerunt, & idè in ijs poterant errare, & necessitatem non inducunt quod necesse sit eis credere cum declaratione superiori canoni præscripta acceptamus; & cum illa glossa Grabrinæ supra pagina 19. Quæ doctrina non nisi ad priuatas Patrum sententias, vel ad concordem omnium, sed non in fidei dogmate referri potest. Quod verò ipse Grabrina pagina 20. colum. 2. ex plurimis Thomistis allegatis scripsit: Liberum est unicuique cum priuato sensu, & priuata intelligentia traditur à Patribus, si meliora occurrant contrà sentire, & de questionibus ad fidem non pertinentibus liberum habere iudicium, locum non habet, si non urgeat efficax ratio, aut testimonium; alioquin cum innumeræ quæstiones minimè ad fidem pertinentes tractari soleant in scholastica palæstra, ut idem ibidem Grabrina proficitur, fieret ut sæpè Patres sine aliorum Patrum auxilio, aut efficaci argumento impugnarentur, quod tolerandum non est.**

Quod Grabrina pag. 30. docet ea quæ obscurè dicta sunt à Patribus, vel obiter, vel in transcurso, non præstare firmum argumentum, eatenus verum est, quatenus ad primam positionem pertinet. Promouet autem hæc communis Thomistarum doctrina opinionem piam de immaculato conceptu Virginis, aduersus quam nullus sanctorum Patrum mille & cætum annis post Christum natum scripsit quidquam. Si quid contrarium ex viciatis codicibus profertur, cum illud non obscurè tantum, sed obiter, & in transcurso dicatur, perindè est ac si per condescendentiam, aut non assertiue diceretur. Consideranda sunt illa verba Vincentij Lyrinensis supra à Grabrina laudati, pag. 17. *Patribus ea lege credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures, vno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter accipiendo, tenendo, tradendo firmauerunt, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur.* Propterea nec manifestè, nec frequenter, nec perseveranter quidquam aduersus immaculatum conceptum Virginis vsque ad Bernardi tempora dictum est: quod vel implicite, vel explicitè omnes crederent eam ab originali peccato præseruatam.

Quod ex communi Thomistarum sensu cum Cano lib. 7. de locis cap. 3. scripsit Ioannes Gonzalius Albelda, 1. par. quæst. 1. art. 8. admittendum est, scilicet argumentum desumptum in rebus fidei ex auctoritate plurium sanctorum reliquis licet paucioribus in contrarium stantibus, magnam probabilitatem asserre, non tamen omnimodam firmitatem. Objicit sibi prædictas auctor ex Vincentio Lyrinensi, illud esse fidem Ecclesiæ, quod maior pars sanctorum ab Apostolis sentit, atque aded paucis reclamantibus plurium sanctorum sententiæm efficax argumentum ministrare. Respondet dictum illud Vincentij, tunc solum verum esse quando paucorum sanctorum contraria opinio ab Ecclesia fuerit damnata. Id circo quicumque pro sua opinione tres, aut quatuor sanctos Patres, aut graues Scholasticos antiquos produxerit, etiam si plurimi aduersentur, nulla potest censura Theologica condemnari, si non expressa Concilij, aut Romani Pontificis damnatio præcesserit.

Quod dogma aliquod possit vno tempore esse commune omnibus, & deinde tempore succedente veritate patefacta à iunioribus oppositum absque temeritate sustineri, scripsit Bañez 1. par. quæst. 1. art. 8. dub. 3. alios graues Doctores sanctissimæ sue professionis æmulatus: verum id non credimus in controuersijs ad fidem pertinentibus. Commune interdum vno, vel alio sæculo iudicatur, quod reuera non in vniuersa Ecclesia Dei, sed in vno aliquo celebri loco commune fuit. Sic cum olim Academia Parisiensis neminem permitteret in publicis lecturis immaculatum Virginis conceptum Scholasticè defendere, cauens ne absque fundamento vniuersales clausulæ scripturarum, Conciliorum, & Patrum omnes sub originali comprehendentes aliquatenus violarentur, id sua auctoritate præstitit, ut duobus ferè sæculis opposita sententia communis crederetur quamquam illam Parisienses duntaxat Magistri, & Scholastici vndique ad eam Vniuersitatem confluentes, sectarentur. Neque verò contra vllam virtutem est opiniones probabiles speculatiuas contrarias pro diuersitate locorum, & temporum, ex rationabili causa defendere. Sic D. Thomas, S. Bonauent. Paludan. & alij in lecturis Academicis super Magistrum Mariam in peccato originali conceptam esse tuebantur, ut Parisiensi claustris satisfacerent: at in operibus quæ non erant lecturæ pro ea Academia constanter affirmabant proprium sensum id est oppositum. Idè S. Thomas in 3. ad Galatas, iuxta editiones Venetas, & Parisienses Deiparam ab originaria labe eximit: immò quia lectura eiusdem Angelici

32
gelici Doctoris in 1. dist. 44. quaest. 1. art. 3. ad 3. non pro Academia Parisiensi facta est, in ea opinionem de originaria iustitia Mariae defendit, vt fatentur Thomista plures cum Catharino in libris de Conceptione. Similiter S. Bonauentura in opusculo contemplationum ad finem tomi sexti flore quinto, & in sermone de Annuntiatione, & in sermone 1. 2. 3. de B. Virgine, Mariam negat in originario delicto conceptam. Idem praestat Paludanus enarratione 1. & 2. concionatoria de Conceptione Virginis. Eadem exempla ex plerisque alijs occurrent: quod ita factum donec Parisiensis Academia (videns propositiones vniuersales scripturarum, Conciliorum, & Patrum, circa originariam labem, non magis comprehendisse Mariam, quam alias multo plures propositiones aequè vniuersales asserentes omnes in peccato originario nasci, & neminem praeter Christum ab actualibus delictis esse immunem) sancte statuit, ne quisquam illius Academiae Doctor, Magister, aut alumnus Mariam in haereditaria culpa creatam in posterum tueretur.


Quod interdum ab ore sanctorum Patrum, & Doctorum auditores nonnulli lecturas, tractatus, sermones, & interpretationes attentè exceperint, & deinde scriptis commiserint, non enervat eorum operum auctoritatem, quamquam illa ipsi Patres, & Doctores non dictauerint Amanuensis, sed viua solum voce, eaque fugaci discipulis publicauerint: dummodo postea legerint ipsi ea monumenta, & in suis illa voluerint numerari. Sic Petrus Andria eos qui nunc sunt commentarios Diui Thomae in Matthaeum euulgauit, vt refert Antoninus 3. par. tit. 18. cap. 10. Sic Raymundus Pipernas, collegit lecturam Scholasticam Diui Thomae in Ioannem, vsque ad caput quintum; vt ait Sixtus Senensis lib. 4. Sic Reginaldus à capite 5. Ioannis vsque ad finem similem operam nauauit. Sic ipse Reginaldus idem omnino praestitit super plures epistolas Pauli, & in libros Aristotelis de anima, vt obseruat S. Antoninus vbi supra, & alij ex familia Praedicatorum. Neque tamen propterea haec monumenta grauisimo auctoritatis pondere destituuntur. Simile quid habetur in Diui Augustini operibus, vt ipse in retractationibus obseruat, & latius expendit Sixtus Senensis, verbo Aurelius Augustinus.

POSITIO QVARTA.

De Rebus Philosophicis.

PROBAMVS, & sequimur quod Cano lib. septimo de locis, cap. 3. & alij eiusdem instituti supra memorati statuunt circa Philosophicas controuersias, Medicas, & Metaphisicas, in quibus auctoritas Patrum, siue vnus, siue multorum eam habet efficaciam, quae sit in ratione qua vtuntur: & hanc vt communem Theologorum sententiam reueremur. Quamuis scientiam, & notitiam speculatiuam veritatis naturalis in disciplinis humanis arbitramur cum Augustino lib. 1. ad Simplicianum quaest. 2. non esse donum gratiae Dei per Christum, etsi dici quae eat donum gratiae Dei aliquo modo. Id circo sapienter ait honestas, vtilesque disciplinas non fuisse Deo causam, aut occasionem eligendi hominem ad gratiam; nec formidauit concedere haec omnia libero arbitrio sine gratia Christi. Propterea improbabiliter, & prodigiosè opinari in controuersijs speculatiuis Philosophicis, & Medicis, & Metaphisicis, de quibus non est in Scriptura sacra, aut Concilijs, & decretalibus mentio vlla, solum est contra virtutem veritatis naturalis ordinis, vel contra studiositatem, quae est pars temperantiae, nullatenus verò ne indirectè quidem, aut remotè contra fidem. Huc respexit Doctor Angelicus in 2. dist. 14. quaest. 1. art. 2. ad 1. cum ait sequuntur. In vniuersum verum est, quod Sixtus III. ait relatus à Diago lib. 1. cap. 33. temerarium & praesumptuosum esse opinionibus à Catholicis Doctoribus positis detrahere per censuras, vt habetur in concertatione Praedicatoria, pag. 227.

Cum fecerint quae aduersus tertium librum Churdarij obijciuntur acensibus sine demerarijs philosophicis speculatiuis iuxta hanc propositionem quartam nihil et in eo libro censura dignum.





Propositiones

10

10



55



CAJA
2-8